

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

**CONVENTUS CONSOCIATIONIS PALAEOPHILO-LOGORUM GERMANORUM** habebitur Hammaburgi a die 17 in diem 21 mensis Aprilis anni 1990. Professores Nicolaus Sallmann et Andreas Fritsch, ambo Societatis Latinae sodales necnon strenui Latinitatis vivae fautores, cum inter moderatores essent, effecerunt ut inter conventum haberetur «Officina Latina», ubi agendum erit de institutione Latina mutanda. Infra partim exhibetur epistula quam Nicolaus Sallmann circummisit.

«Nicolaus Sallmann amicis Officinae Latinae Hammaburgensis sal. pl. Ut clarius comperiatis quid Hammaburgi fiat, certiores vos facere liceat de propositis, quae Andreea mihique agenda sunt visa. Cum non amplius XC temporis momenta Officinae nostrae (haud secus ac ceteris circulis cooperatoriis) tribuantur, necesse erit per breve et quam efficacissime procedere. In priore parte Officinae post inaugurationem sua quisque monita, si velit, proferat de institutione Latina; sed cave excedas tria temporis momenta (quod spatium

respondet ad unam fere paginam normatam machina scriptam). Si plura vis enuntiare, fieri poterit ut publici iuris faciamus in relatione totius Officinae postea conscribenda. Quas symbolas ad institutionem Latinam in scholis pertinere oportere apertis verbis affirmavemus. (...) Relatunculis aut Latine aut Theodisce aut Francogallice aut Anglice prolatis argumenta praecipua congerere conabimur, de quibus in utramque partem per dimidiam fere horam disputetur. In fine Officinae videbimus numquid statim commendare vel suadere possimus de lingua Latina Latine docenda. Praeterea in animo habemus collegium quinque vel decemvirorum de Institutione Latina Viva et de Officinis Latinis futuri inferre et, si assentietis, eligere. (...) Nunc valere vos iubeo quos summo gaudio exspecto Hammaburgi. Si forte nondum acceperitis invitationem Conventus totius cum elenco omnium rerum propositarum, talem fortiter poscite a praeside societatis DAV (OStD Kurt Selle, Rostockstr. 32, D-3300 Braunschweig). Interim curate ut valeatis et annus incipiens Latinitati faveat.»



*De vivo modo docendi agitur in huius numeri paginis 6-7 (imago excerpta e libro c.t. Ad Fontes, auctoribus Kallela-Paananen-Palmén, Helsingii a. 1985)*

**DE PARVA MUTATIONE.** Hoc 34° fasciculo incohatur subnotatio in annum 1990. Eis qui Melissae frontem diligentissime inspicere solent, certe non latuit parva mutatio: Gaius Licoppe factus est editor responsalis loco Diana; filia enim Diana, quae ab initio quasi musa Melissae fuit, nunc maritata est, duos liberos peperit domiciliumque habet Tornaci, quod plus quam centum chilometris a Bruxellis abest. His de causis ei vix superest tempus ad res Latinas curandas. In fronte nunc etiam appetet nomen Franciscae Deraedt, quae iam diu diligenter et scienter Melissae fasciculos componit.



# IAPONIA IN BELGIO : CIRCA EXPOSITIONEM 'ORANDA'

Ut in superiore fasciculo narratum est, Lusitani haud parvam quaestuum partem erogabant ad Iaponiam evangelizandam. Nonnulli dynastae (Iap. «daimyo») et complura dena milia Iaponum, praecipue in insula meridionali Kyushu, se ad fidem Christi converterant, id quod facilius factum erat cum tunc temporis in Iaponia magna esset anarchia. Imminebat autem finis anarchiae. Tres duces, continuo terribilique annisu, intra quinquaginta fere annos dispersam potestatem in unius manus totam iterum collegerunt. Eorum primus, Oda NABUNAGA, anno 1568 dictator mediae partis Iaponiae (quamvis sine titulo «shogun») factus est; qui vir Buddhistarum potestatem politicam crudelissime extinxerat atque suspicabatur Europaeorum crescentem auctoritatem in meridionali insula Kyushu periculo fore integrati Iaponiae. Europaeis tamen eorumque amicis Iaponibus evangelizatis non fuit infestus; timebat enim feudorum meridionalium dynastas, quibus propter commercium cum Lusitanis nec arma nec opes deerant.

Eius vitae curriculum abrupte interruptum est anno 1582; dum in fano Kyotensi c.n. Honnô-ji cum nonnullis vassalis quiescit, unus ex eius legatis, Akechi MITSUHIDE, cum manu militum dolose ingressus eum trucidavit; ceteris vero legatis non assensis, ipse devictus est necatusque ab alio legato c.n. Toyotomi HIDEYOSHI; qui, etsi a rustica stirpe ortus erat, belli peritissimus factus erat necnon acceptissimus Odæ NABUNAGA legatus.

Toyotomi HIDEYOSHI imperium sibi statim sumpsit atque perrexit Iaponiam totam in dicionem suam redigere. Anno 1587 in magnam meridionalem insulam Kyushu invasit, ubi frequentissimi erant christiani; eodem anno facta est prima christianorum persecutio, cum iussisset omnes missionarios e Iaponia expelli. Imperata tamen non facta sunt et christianismus nonnullos annos florere perrexit. Aenulum suum, c.n. Ieyasu TOKUGAWA, qui etiam Odæ NABUNAGA legatus fuerat, e media Iaponia in septentrionem depulit coercitque intra fines exigui seudi, cuius castellum caput vocabatur Edo. Insana superbia correptus, nuntiavit se in Coream et in Sinas invasurum esse atque haec regna in dicionem suam redacturum esse. Anno 1592 exercitum centum quinquaginta milium militum in paeninsulam Coreanam traecit. Victor terribilis celeriter usque in medias Sinas progressus est, sed, firmiter repugnantibus Sinensibus et Coreanis, anno 1598 pacem petere atque exercitum in Iaponiam reducere coactus est. Eodem anno vita functus est in castello suo Osakensi. Quam occasionem cepit Ieyasu TOKUGAWA ad potestatem sibi sumendam. Bellum intulit familiaribus

dictatoris HIDEYOSHI, qui consilium regno gubernando constituerant. Eos devicit anno 1600 maximo proelio apud oppidum Sekigahara facto, quo centum sexaginta milia hominum inter se decertaverunt. Tribus annis post, imperator victori omnipotentique Ieyasu TOKUGAWA titulum «shogun» decrevit. Qui tamen apud imperatoris aulam Kyotensem non remansit, id quod fecerant eius antecessores, NOBU-NAGA atque HIDEYOSHI, sed praetorium (Iap. bakufu) regimenque collocavit in castello suo Edo. A quo tempore ibi est sedes omnis imperii potestatisque in Iaponia. Per ducentos sexaginta quattuor annos quindecim dictatores stirpis TOKUGAWA potestatem absolutam tenuerunt, id est usque annum 1867, quo Iaponia suam mutationem modernam incohavit; sed haec est alia historia.



*Quae sit haec res, duabus de causis non clare conspicitur: imprimis quia est lamina ferrea, deinde quia contrita est. Cum christianismus prohibitus est, Iapones conversi coacti sunt tales laminas calcare, in quibus singebatur sive Christus cruciatus, sive, ut in hac imagine, Virgo cum Iesu. Nagasaki XIX saeculo morem quodammodo servaverunt: nam cum anno treunte alii alios visitarent, talem laminam in limine calcando manifestabant se bona esse voluntate.*

Horum trium virorum, qui Iaponiae unitatem perfecerunt, indeoles iocose demonstratur hac fabula: singuli si fuissent coram luscina caveata, quae can-

tare nollet, NABUNAGA eam trucidavisset, HIDEYOSHI effecisset ut cantaret, TOKUGAWA autem exspectavisset dum cantaret!

Quae cum ita facta essent, quid accidit Europaeis? Exeunte XVI saeculo commercium cum Lusitanis Hispanisque florere perrexit. Multae res novae tum allatae sunt in Iaponiam: ars typographica, vitrum, tabacum... Anno 1598 quinque naves Roterdamo solverunt, quae per fretum Magellani Asiam peterent. Nam Lusitani sibi soli reservabant viam per Oceanum Indicum, quam invenerant. Harum quinque navium, una tantum c.n. «Liefde» (id est Latine «Amor») anno 1600 in Iaponiam pervenire potuit. Eius gubernator erat Anglus, nomine Will Adams, qui effecit ut potestatibus Iaponicis suaderet Nederlandos bono animo esse atque aliae religioni parere quam Lusitanos Hispanosque. Anno 1602 condita est in Nederlandia Societas Indiarum Orientalium, cuius insigne erat V.O.C. (Ned. Vereenigde Oostindische Compagnie), ad commercium condimentorum cum Asia meridionali orientali faciendum. Anno 1605 capitaneus navis «Liefde» a dictatore TOKUGAWA licentiam accepit commercii faciendi, quam in Nederlandiam reportavit. Anno 1609 duae Nederlandicae naves in Iaponiam pervenerunt, ubi in parvam insulam Hirado appulerunt.

Qua in insula Lusitani Hispanique iam habebant emporia quorum commercium florebat; christianismus quoque manare pergebat. Anno 1613, quidam dynasta christianus ultimam legationem Romam misit. Eodem anno dictator TOKUGAWA, christianismo infestissimus, Jesuitas ex consilis expulit atque illum

Angulum gubernatorem nomine Will Adams ut consiliarium sibi elegit. Anno 1614 ecclesia Jesuitarum in urbe Kyoto incensa est. Anno 1616 christianismo parere prohibitum est; iam non licebat missionariis evangelizare; multi christiani atrociter cruciati sunt. Cur tanta vehementia? Complures videntur suis causae: christiani regimen dictatoris TOKUGAWA ut supremam auctoritatem agnoscere nolebant; dictator timebat ne dynastae meridionales, qui christianismo favebant, nimis potentes fierent; timebat etiam ne nationes Europaeae cum christianismo coniunctae res oeconomicas in Iaponia regerent. Praeterea dictator moleste ferebat rixas quae frequenter interveniebant inter missionarios Lusitanos et Hispanos, inter Jesuitas, Dominicanos et Franciscanos.

Anno 1637 triginta milia catholicorum magnam seditionem fecerunt in oppido Shimabara insulae Kyushu; ducente Amakusa SHIRO sedecim tantum

annos nato, castello Hara potiti sunt, ubi dictatoris exercitus eos quattuor menses obsidere debuit antequam eos caperet trucidaretque. Haec fuit catholicis finis in Iaponia; rari superstites postea clam vixerunt in nonnullis insulis non longe a Nagasaki sitis.

Seditio Shimabarae oppressa est iuvantibus Nederlandicis, qui dictatori demonstrare volebant se eiusdem religionis non esse ac Lusitanos Hispanosque. In Europa tamen propter hoc facinus valde sunt vituperati.

Praeterea anno 1634 dictator Iemitsu TOKUGAWA minimam insulam (200 x 75 m.) in ipso portu Nagasakiensi exstruendam curavit in quam omnes negotiatores Lusitanos coerceret, quo eos facilius specularetur; intra duos annos haec insula artificiosa, Deshima vocata, perfecta est.


Eodem tempore dictator sub mortis poena vetuit, ne ullus Iapo e Iaponia exiret neque ullus extraneus per Iaponiam ambularet sine licentia.

Anno 1638 iam non licuit Lusitanis commercium cum Iaponia facere; ceteri commercium iam antea finiverant, praeter Nederlandos, qui uni Europaeorum in Iaponia manserunt... non revera in ipsa Iaponia, sed in minima artificiosa insula Deshima!


Haec longior narratio necessaria erat ab bene intellegendum cur et quomodo evenisset ut Nederlandi soli quoddam commercium cum Iaponibus servavissent per duo saecula et dimidium.

De hac aetate Nederlandica agitur in expositione «Oranda», cum in lingua Iaponica dicatur «Oranda» pro Hollandia.

Pauci erant Nederlandi qui in minima insula Deshima vivebant, viginti circiter, omnes viri, cum feminibus Europaeis insulam adire non licet. Ducenti circiter Iapones etiam insulam habitabant, a regimine electi missisque, quorum tam salarium Nederlandis solvendum erat; sive interpretes, sive famuli, omnes imprimis erant speculatori. Cum quaedam navis Nederlandica portum Nagasaki intrabat, diligentissime inspiciebatur; libri religiosi, arma, vela, nummi extranei corripiebantur atque servabantur donec navis solveret. Fastidiosissima erat vita in insula Deshima. Quotannis tamen fiebat iter impositum ad aulam dictatoris in urbem Edo. Tres tantum Hollandi itinerabantur: emporii praefectus (Ned.: opperhoofd), scriba et medicus, qui lectica ferebantur, dum turba ducentorum famulorum Iaponum eos pedibus comitatur. Quod iter complurium mensium unica erat occasio Iaponiae paululum invisendae. In urbe Edo collocabantur in



Iapones, qui proprium tempus metiendi modum habebant, a XVII saeculo horologia confecerunt huic systemati apta. Anno autem 1873, quo tempore hoc horologium est perfectum, Europeum sistema sibi assumpserunt.



*Descriptio insulae Deshima in ligneo delineata, XVIII saec.*


1 : domus interpretum.

2 : porcinarium.

3 : meretrices Iapones.

capona «Nagasakiya»; eis non licebat per urbem ambulare sine praesidio. Dictatori pretiosa dona offerre debebant. Ipse dictator significabat qualia dona in proximum annum exspectabat. Hollandi quoque dona accipiebant. De rebus Nederlandicis Europaeisque avide interrogabantur ab aulicis, quibus nulla erat occasio extranearum regionum lustrandarum.

Usque annum 1641 lingua commercii in Extremo Oriente fuit lingua Lusitana. Ab eo anno, cum soli manerent Nederlandi iisque in insula Deshima inclusi, crevit usus linguae Nederlandicae. Exeunte XVII saeculo iam non deerant interpres Iapones qui linguam Nederlandicam callerent. Inde paulatim factum est ut nonnulli Iapones libros scientificos Europaeos legerent, velut ille doctus Confusianista,



*Iter Nederlandorum petentium aulam dictatoris.*

Famuli Iapones portant, a sinistra ad dextram: lecticam scribae, res scribae, res praefecti, lecticam praefecti.  
Adnotationes Nederlandice scriptae sunt ab ipso Iapone delineatore (XIX saeculo).



## POESIS LATINA EX IAPONIA : "QUIES INAUDITA"

Hic, amice, fulgidum  
metro dicaxque carmen attrahenti  
non uides, quod extulit  
profunda lingua mitiorque uates.  
hic rapacium genus  
Horatiana, quae scidisse sollers,  
Oda non profunditur;  
scias at arua mira mortuorum:  
sanguis altior Iouis,  
suis sit urbis auctor, at peribit;  
aereus tripus, sacris  
Etruriae stet usui, peribit  
tritior uel obrutus  
aquis: obire nec Remus refugit;  
nec nefas senescere et  
iuuenta cedit. his bearis, Icci:  
uere ceu nemus uirens  
minante bruma frondibus relinqui  
sponte malit heu sua  
breuique robur interisse totum,  
sic et in dies manu  
fugaciore uadimus cis umbras  
lectulis quiescere.  
catus dat Orcus—umbra fessa paulum  
cum rogata de sua  
salute—cuique suauius soporum:  
somniere nil mali  
necesse crede nec tui neque Atrei.  
et quis urbe sub nigra  
poenas ut ulli soluat hinc iubetur?  
'Rex, at o meae mihi  
ostende faciem saepius puellae!'  
gemma caeca ceteris  
tibi puella Pieris reuerso  
mella cantat aureum  
amica lumen atque alumna Brimus.

(de hiatibus cfr Hor. Carm. 2, 18)  
CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCCXLIII  
ARITVNEVS MIZUNO \*)

5  
10 謹  
賀  
新  
年  
15  
20  
25  
30  
35

T  
608  
京都市左京区下鴨南茶ノ木町  
31  
3

水  
野  
有  
庸

nomine Arai HAKUSEKI (1657-1725), qui dictatori TOKUGAWA demonstravit hos libros nullam significationem religiosam habere utilesque fore. Inde in Iaponia orta est XVIII saeculo «Nederlandologia» (Iap. Rangaku), quae dicitur: docti ex libris Nederlandicis allatis de inventis scientiae Europaea certiores silebant. In expositione «Oranda» exhibitae sunt res diversi generis, quae aspectum singularem trahunt ex mutuo influxu Iaponum Nederlandorumque. Quibus ostenditur quomodo Iapones instrumenta in Europa inventa non solum imitati sint sed etiam ad suum usum sensumque singularem aptaverint iam ante modernam mutationem aetatis Meiji...

Gaius LICOPPE

*Insulam Deshima nulli mulieri Europaea intrare licebat. Ad Nederlandos, ne nimis relictii sibi viderentur, meretrices Iapones mittebantur. Una tamen Europa c.n. Mimi de Villeneuve ausa est interdictionem neglegere: anno 1829 in insulam appulit ad maritum suum visendum. Non diu remansit, quia iussa est proxima nave proscisci. Hoc tamen romanticum facinus artifices Iapones ita mirati sunt ut pulchram amatricem saepissime delinearentur: hic in tabula lignea.*

\* Loca inferna diu putantur esse terribilia. Exorta vero esse videtur haec sententia mihi quidem eis temporibus, quibus peccatores in vincula coniciebantur verberabantur cruciabantur. Qualibus carceribus atris similis esset domus Stygia necesse erat, quin potius multo magis terrifica. Qui tamen terror iam est priscus, iam praeteritus. Etenim iam non bellatur inter nationes. Nam cultum atque humanitatem vera magis magisque penitus cognoscere homines certe incipiunt. Necnon sin usquam forte belletur, protegi solent captivi humanitus. Atque iam ne pessimi quidem rei plerisque in rebus publicis morte multantur. Quin etiam iam nunc fieri adspicias ut homines omnes sine ullo discrimine sese post mortem credant inhabitaturos mundum quandam multo hilariorem, multo quietiorem, multo clementiorem. Prorsus mors nil nisi migratio est in locum Paradiso similem, quamquam adhuc tenebrosum, ubi vel amore vel cantu frui Orcus permittat mitis quibusdam sane mortuis: sic mors non iam migratio in antrum quoddam Tartareum. Enimvero Stygis quoque in locis poetae amicoque eiusdem opus est seu Musis seu tali magistra, quae doceat se carmina splendissima: qua de causa cecini «mella cantat...». Verum tamen ante alios servandi sunt, inquam, peccatores, licet in vita fuerint pessimi, ut in vita, et post mortem quadam sublimi divinaque Clementia, quae miseris pessimisque homines mitissime, sicut Jesus Christus, respiciat ante alios. Clementia enim, eos nisi respiciat aut eos si deserat, cur merito ac ture possit vocari clementia?

Qualia ipsa cantare, id demum est carminum recentiorum Latinorum futuraeque Latinitatis, dummodo barbaria crudelis ne iterum revertatur. Quod carmen inauditum, quod solacium unicum huius aetatis novae, quae ad nos iam adest, nunc ego de aetate nova nostraque Latinitate recentissima poeta ex corde vehementer gratulatus, sicuti videtis, cecini et mihi et vobis.

Arituneus MIZUNO

## **DE SEMINARIO QUODAM SPECIALI MAGISTRIS DESTINATO**

A die 4 usque ad diem 8 mensis Septembris anni 1989 prope Cassellas in Germania seminarium Latinitatis vivae speciale et adhuc singulare institutum est. Nam consociatione Germanica palaeophilologorum sectionis Hassicae adnuente atque cooperante illud seminarium, quod Dr Caelestis Eichenseer et D.rix Sigrides Albert moderati sunt, magistris Latinitatis destinatum erat, ut iisdem ad linguam Latinam vivam adducerentur. Quindecim magistri magistrae que ad hanc rem suscipiendam confluxerant et, quod rei nostrae multum proderat, ipse praeses Hassicae consociationis palaeophilologorum, Valtherus Weidner, aderat remque participavit.

Seminario autem ipsi, cum pro magistris fuisset institutum, tres scopi principales propositi erant: primo participes aliquid de Latinitate viva, eius scopis; fundamentis, problematis audirent atque disserent oportebat; deinde agebatur de methodis didacticis in institutione scholari adhibendis; denique ut participes ipsi Latine loquendo aliquatenus exercerentur, necessarium erat. Ergo erat scopus informativus, scopus didacticus, scopus loquelaris. Hos autem scopos variis modis assequi conati sumus, id est acroasibus relationibusque, exercitationibus cum materiis didacticis conjunctis, colloquiis de rebus praebitis, exercitationibus loquendi.

Relationes, quae variis diebus factae sunt, erant in summa quinque: Dr Eichenseer acroases fecit «de fundamentis Latinitatis vivae» et «de problematis neologismorum condendorum», ipsa ego rettuli «de Latinitate viva in institutione scholari adhibenda», «de metodo quadam, qua lingua Latina ab initio vivo modo doceretur», «de statu praesenti Latinitatis vivae in Europa». Quibus omnibus acroasibus disputaciones subiunctae sunt.

Seminarii pars didactica, ut ita dicam, agebatur de quaestione, quomodo et quibus materiis magistri in institutione scholari progredi possent ad linguam Latinam vivo modo docendam. Ad hunc scopum assequendum varias materias attulimus atque varias exercitationes praebuimus, quae partim ad discipulos minores natu, partim ad discipulos iam maiores natu spectabant. Omnes autem res propositas participes ipsi experti sunt, ut una ex parte de valore methodi decernere possent atque altera ex parte hoc modo ipsi Latine loquendo exercerentur<sup>1</sup>.

Decursu autem seminarii, cum participes experientiam quandam sibi iam acquisivissent, totus dies destinabatur operibus, quibus participes sibimet ipsis methodos aptas ad Latinitatem vivam docendam

excogitarent. Hoc factum est in parvis gregibus, qui singuli in operando varias aetates discipulorum et diversam scientiam eorum respicerent (hoc modo primus annus institutionis Latinae, octava classis, finis classis nonae atque classis undecima aut duodecima tractabantur). Deinde coram omnibus consilia capta explicabantur atque demonstrabantur et de propositis disputatum est.

In fine autem seminarii colloquium instituimus, quo percipere voluimus, quid participes de tali incepto efusque effectu sentirent. Plerique confitebantur sibi in initio difficultates fuisse, quibus detinerentur, ne timorem proprium Latine loquendi superarent. Tamen se decursu temporis experientiam quandam loquendi sibi acquisivisse, quod esset bonum fundamentum hunc in modum pergendi. Praeterea dixerunt se illa septimana multa incitamenta accepisse, nam se animadvertisse Latinitatem vivam esse bonum instrumentum ad institutionem Latinam ipsam vivificandam et esse bonum instrumentum, quo discipuli structuras linguae non solum describere, sed etiam activo modo adhibere disserent. Ceterum subiunxerunt se nunc animadvertisse etiam postulandum esse, ut discipuli quoque Latine loquerentur, cum aliter periculum immineret, ne discipuli cottidie ex institutione exirent ne unum quidem verbum Latine locuti.

Cum autem participibus effectus illius seminarii vere bonus videretur, rogaverunt atque optaverunt, ut tale seminarium regulariter iteraretur. Ut hoc fieri posset atque nos hoc modo paulatim plures magistros ad rem nostram alicere possemus, iam nunc novos labores ad tale seminarium speciale praeparandum suscepimus.

Sigrides ALBERT

(1) Adhibuimus exempli gratia lectiones ex libris scholaribus depromptas et speciali modo praeparatas, usi sumus epistulis Ciceronis ad familiares scriptis, proposuimus nonnullas exercitationes loquendi modo ludorum praebitas, instituimus colloquia de thematis datis etc. De methodis progrediendi atque de exercitationibus cfr fusius VOX LAT. 98, 1989, pp. 590-596.

# DISCIPULI TRANSLATIONEM HORRENT !

Eosdem discipulos, qui rogitant ut novos textus una transferamus, potissime festivos, id genus exercitationis, cum magistro carent, omnino non iuvat. Auxilio enim sublato, nihil intellegere videntur, sed saepe sufficit ut magister voce alta et clara sententias legat, ut sensum generalem textus statim percipient.

Tunc, ubi sunt impedimenta? Neque notiones grammaticae neque cognitio vocabulorum in causa sunt. Re vera in schola discipuli non satis multa scripta transvertunt ut soli textum quendam scriptoris antiqui intelligere valeant. Fossa quaedam facit, quae transeunda est.

Quamobrem dialogos et textus modernos iam prius proponere soleo, qui discipulis faciliores esse videntur propterea quod propiores sermoni vivo sunt quam opera antiqua. Tunc discipuli, maiore fiducia confirmati et fabula capti, multo facilius transvertunt atque etiam difficultates grammaticas non raro superant. Deinde, cum et consuetudine et experientia scriptis Latinis assuefacti sunt, scriptores antiquos animo sereniore et apertiore amplectuntur.

Haec sunt nonnulla exempla textuum, quibus semper subiunguntur nonnullae exercitationes:

- in primo anno, nominativo et accusativo visis:

*Nos discipuli in primo anno sumus. Multas disciplinas discimus et multos quoque magistros habemus. Etiam linguam Latinam studiose discimus et aliquotiens inter nos nonnulla verba Latina dicimus.*

Laurentius: Ave Fabiane. Quomodo vales?

Fabianus: Bene valeo. Et tu?

L.: Ego quoque. Hodie interrogationem scriptam habemus.

F.: Scio. Itaque declinationes repeto.

L.: Oh! Stupidus sum. Coniugationes didici.

F.: Nihil est. Te interrogo.

L.: Bene, te audio.

F.: Quot sunt declinationes?

L.: Tres scio. Prima est feminina in -a, secunda masculina in -us, et altera secunda neutrum in -um.

F.: Optime. Quot sunt casus?

L.: Nominativum et accusativum didicimus.

F.: Bene. Recita nunc primam declinationem.

L.: Fortuna, fortuna, fortunas...

F.: Erras! Falsum est! Fortuna, fortunam, fortunae, fortunas.

L.: Oh! Omnia confundo.

F.: Nunc secundam.

L.: Hem, domini, dominus...

F.: Nihil scis! Dominus, dominum, domini, dominos.

L.: Sed neutrum scio: fatum, fatum, fata, fata.

F.: Facile est! Sed nunc repeate primam et secundam ante interrogationem.

L.: Bene. Gratias pro auxilio tuo.

- in secundo anno, verbis deponentibus et complementis locorum - civitatum - iam visis:

*Philippus et Laurentius condiscipuli atque amici sunt. In schola tuxta sedere solent, et extra scholam saepissime convenient. Tredecim annos nati, in secundo anno in Athenaeo Montium sunt. Neque optimi neque*

*pessimi discipuli, disciplinam Latinam multum amant et inter se Latine loqui solent.*

Ph.: Ave, Laurenti! Quomodo vales?

L.: Ave, hodie satis bene.

Ph.: Quid id sibi vult?

L.: Heri Bruxellas cum parentibus et cane prosectorum sum...

Ph.: Et quid?

L.: Bruxellis autocinetum in area stativa reliquimus.

Ph.: Et tunc?

L.: Tempestas calida erat, sol ardens erat et, propter canem, fenestram autocineti paulum apertam reliquimus.

Ph.: Et fur quidam occasione usus est?

L.: Mirime. Canis occasione usus est! Fenestram, nescio quo modo, amplius aperuit et aufugit.

Ph.: Vix credere possum. Et quid fecistis?

L.: Bruxellis totis eum quaesivimus...frustra. Postremo tristes domum regressi sumus.

Ph.: Miser amice! Nunc canis perditus est!

L.: Nullo modo. Ille domi nos exspectabat.

Ph.: Quid?

L.: Totum iter Bruxellis usque Montes pedibus fecit.

Ph.: Qualem canem mirabilem!

L.: Recte dicas. Sed in posterum solus in autocinetu non versabitur!

- in tertio anno:

•Dominus quidam veniebat de foro laetus quia multum lucratius erat. Et exiuit servus Matmundus ad dominum suum. Quia mos fuerat servo obvitam ire domino suo et rumores de familia ei narrare, dixit dominus: •Noli dicere mihi rumores malos.» Servus: •Non dicam rumores malos, sed canis nostra parvula Bispeilla mortua est.» Cui dominus: •Quomodo mortua est?» Servus: •Mulus noster exterritus rupit frena et dum fugit sub pedibus suis canem suffocavit.» Dominus: •Quid accidit mulo?» Servus: •In puteum cecidit et mortuus est.» Dominus: •Quomodo exterritus fuit mulus?» Servus: •Filius tuus de solario cecidit et mortuus est et inde exterritus fuit mulus.» Dominus: •Quid agit mater eius?» Servus: •Prae dolore filii mortua est.» Dominus: •Quis custodit domum?» Servus: •Nemo, quoniam in cinerem vertitur et quidquid in ea erat.» Dominus: •Quomodo combusta est?» Servus: •Eadem nocte qua domina mortua est, pedissequa quae vigilabat pro domina, oblita est candelam in thalamo, et ita combusta est domus tota.» Dominus: •Pedissequa ubi est?» Servus: •Ipsa volebat extinguere ignem et cecidit trabs super caput eius et mortua est.» Dominus: •Tu quomodo evasisti quia tam piger es?» Servus: •Ubi vidi pedissequam mortuam effugit.» (Disciplina Clericalis, Pierre Alphonse)

Disciplinam vivam creare mihi in animo non est, nobis in Belgio non licet, nihilominus convenit linguam Latinam ut linguam «victam» ostendi, id est linguam qua homines in vita cottidiana utebantur. Cum magistri ea mente disciplinam Latinam docent, discipuli impetu ardentiore moventur. Quid melius optemus?

Iacina VERREET  
magistra Montibus

# AB OBLIVIONE VINDICETUR...

## CALIFORNIADOS CARMEN (1740)



Jesuadem modulor, raptus qui ad tecta Tonantis  
obtinuit Stygio palmas ex hoste, subacta  
numinis imperio California origine gente (vv. 1-3)

Haec dum vestigant, caelesti ex alite quaerit  
Salvatierra genus, mores et iura locorum.  
Qui celer obsequitur placidoque haec ore profundit:  
•Alta licet quaesita petant exordia rerum  
volvere, cuncta tamen paucis, adverte, docebo.  
Hic Phlegetontaeus crudelia saepa tyrannus  
instituit dudum residensque in rupe cavata,  
pinguis obducta fumis olidaque vapore  
sulphureo atque atris circum crepitante favillis:  
iura dat indocili vivendi more ferarum.  
Hoc omnis confusa ruit gens barbara in antrum,  
Tysiphones tristi correpta furore, precatum  
pars superare dolis hostem, pars vincere in armis,  
pars satiare deae lascivos Cypridis ignes,  
quidquid et inspirat vecors insania menti;  
foedaque sacrilego complent altaria ture,  
ne monstri responsa cadant contraria votis.  
At genitor scelerum flammantia lumina torquens  
et similem tonitru iactans e pectore vocem,  
pignora cara sibi fidosque fatetur amicos,  
mens quibus horridius pietatis temnere leges;  
in reliquos explet rabidam cruciatibus iram.  
Talia narrantem lacrimis auscultat oboris  
Salvaterriades gemitusque in corde repressos  
laxat et impediens singultibus altis ora.  
•Heus quis», ait, «miserae posset succurrere genti!  
Ah Deus, ah superi materque tenerrima amoris!  
Si vos ulla tenet generis clementia nostri,  
accipite in sontes animum mentemque benignam.  
Sic querulus loquitur lacrimisque immittit habenas.  
(vv. 124-153)

Conticuit divasque Pater conversus ad omnes  
vultu quo terras pelagusque polumque serenat  
risit et affari solo sic coepit ab alto:  
•Venit laeta dies itidemque optabile tempus,  
quo Californiades diro rectore gementes  
liberet et mecum stabilis concordia iungat.  
Fervida lucescent sacri funalia ritus  
et vi deposito raptis cacodaemone saeptis  
insidiaque dolique cadent Venerisque cupido;  
castus amor, sincera fides, pax firma virescent.  
Est hodie fortuna reis et terror Averno  
decretum. Misericordia hoc unum denique restat:  
quis vehat alma suae felicis nuntia sortis  
in silvas sacroque suo cultore carentes?

Haec concessa tibi, pulcherrima Virgo, facultas:  
selige quem tanto censebis munere dignum.» (vv. 392-407)

Salvatierra citus plantas e puppe revellit  
et similes imo promit de pectore voces:  
•O mihi cara domus, magalia saepe cupita,  
hospitium et nostro requies gratissima cordi!  
Sis felix, dilecta Deo, dilecta beatis!  
Et tu, gens duri sceptro consueta tyranni,  
plaudite tibi, rigidae collo cecidere catenae;  
nunc amor unus erit, blande qui lora gubernet.  
Iam rosa surget humo, salient e rupibus undae,  
rura ferent segetes, perdent aconita venenum,  
spina relinquunt agros tabesque sitisque famesque.»  
(vv. 787-797)

Haec quondam cecini primaevi flore iuventae,  
dum superas cuperet spiritus ire vias.  
At nunc Pieridum non me condescendere templum  
permittit senio facta senecta gravis.  
Tunc mihi mollis erat facilisque ad carmina vena;  
arida iam canis non mea vena fluit. (vv. (805-810))

Quos versus legistis heroicos excerptimus e Californiados carmine, quod in honorem Societatis Iesu, expleto altero ab institutione saeculo, anno 1740 conscripserat Iosaeus Marianus ITURRIAGA, etusdem Societatis sodalis (Populi 1717 - + Bononiae 1787) versus Latino tunc primum se experiens. Qui Vergilium imitatus non ipsam insulae Californiae (seu sinus Californii) expugnationem ordine enarravit, sed, attento ad tempora praecedentia animo, concilium quoddam deorum versibus inclusit de evangelizandis indigenis apostolisque in ea loca mittendis sententias aperientium. Californiae igitur expugnandae praefectus est Ioannes Maria Salvatierra (Societatis quam dixi sodalis Mediolani natus anno 1648); qui adversam nactus tempestatem, incolulis tamen (Deo Mariaque Virgine secundis) in insulam se suosque transduxit.

Poema autem istud Didaci Abadii Carmen heroico (iisdem fere temporibus conscripto) non comparandum, dignum tamen quod denuo cognosceretur, primum edidit Alfonso Castro Pallares (José Mariano de Iturriaga, La Californiade. Transcripción paleográfica, introducción, versión y notas de A.C.P., Cuadernos del

*Centro de Estudios clásicos, 7 (Mexici, 1979)). Quae editio cum erroribus minime careret, emendationes proposuitus, addito etiam elenco vocabulorum quae desunt in Thesauro Linguae Latinae Forcellianove lexico.*

#### Emendationes Iturriagianaæ

(In dedicatione domino legas pro nomini). Legas: v. 32 mereant; v. 36 deserit excelsis; 47 convexa; 54 cum; 79 compescere; 82 preces; 99 iniustam; 107 horto; 114 stillae; 115 protinus; 126 consequitur; 127 licet; 139 sacrilego; 140 ne; 176 pecoris; 182 fulcimina; 204 summisque a sedibus; 300 imperat; 405 sacroque; 415 turram; 516 damnant; 526 stirpe; 583 reddatis; 620

mole; 622 religat; 625 saeclum; 648 adversa; 656 epulis somnoque expertia; 664 et; 739 crebescit; 754 nos; 759 e(x); 760 eripito; 763 duce te; (786 addiderim vel); 797 sitisque.

#### Verba notabilia

v. 1 Iesuades; 3 Californius, -a, -um, 19 Mexiceus, -a, -um; 147 Salvaterriades; 282 Californiades; 414 Loyolaeus, -a, -um; 799 Christiades. 429 subplacidus, -a, -um (Olli subplacidus qui sidera numine torquet); 548 noctivus, -a, -um (noctivas condit curas frontemque serenat).

Theodoricus SACRE

## FUNDATIONIS MELISSAE NOVISSIMUS LIBER :

FABULA FICTA CUI TITULUS EST

# UBI SUNT ?

CHRISTIANO VERBIST AUCTORE

QUAM FABULAM IN LATINUM VERTERUNT GAIUS LICOPPE ET FRANCISCA DERAEDT

SUMMA: Georgius munus habet in Officio Securitatis Generalis. Inquisitio quaedam secretissima et perdifficilis ei aliquando mandatur: inveniendum est cur in civitate plures pluresque homines sine explicatione dispareant. In angustias adductus alias difficultates, magis privatas, etiam patitur. Hoc capitulum e libro excerptum vobis proponimus:

Somno in obscuro cubiculo excutor. Fletne Monica? Surgens horologium specto: prima diei est hora. Dum pedes me somnolentum ad forem ducunt, animadverto non Monicam, sed telephonum audiri.

Auscultabulo arrepto:

- Esne tu?
- Quis loquitur?

Muliebris vox, vix audibilis, procul agnosciatur.

- Iris, matertera tua Iris.

- Mehercle, quid accidit?

- Eduardus disparuit.

- Quid?

- Veni! Statim veni!

- Ubi es?

- Domi. Amici hoc vespere nobiscum fuerunt. Modo abierunt.

Vox in longinquu frangebatur.

- Iris, Iris, audisne? Audisne me?

- Bene. Postquam amici abierunt, habitationem ordinavimus et repente disparuit.

- Quomodo fieri potest? Fortasse ambulatum iit?

- Nequaquam: ianua oppessulata est. Iam semihiaram eum quaero. Ad amicos, vicinos telephonavi. Frustra. Nusquam invenitur. Disparuit.

- Advenio.

- Propera... Timeo.
- Certe.
- Nervorum contractionem timeo...
- Post quadrantem horae adero. Noli timere. Praesertim, ne quid tangas. Ostium nemini aperias.
- Ergo venias quaeaso.

Lampade accensa, Peresium statim vocare volo. Cum alio telephonemate occupetur, auscultabulum repono. Tunc uxorem video apud me stantem; oculis paene compressis, orientali saba-no tegitur.

- Quid accidit?

- Iris vocabat. Eduardus disparuit.

Manum ori admovet; oculi eius clariores mihi videntur.

- Statim abeam oportet. Peresium voces, quippe qui omnes quaestiones moderetur. En eius numerus telephonicus. Iridis inscriptionem cursualem ei dabis dicesque me iam profectum esse. Ante semihoram Eduardus disparuit. Tota manus technicorum vocanda est... Ipse autem omnia aget...

E balneo, dum vestimenta induo, loquor. Uxor, sabano manu coercito, me muta attentaque auscultat. Labris eius, simul cum tunicam botono, basium impono. Crines meos digito mulcet.

- Cave.

preium: 200 FB



# SIMPLICISSIME

*quomodo varia exprimantur*

## DE HUIUS RUBRICAES SCOPO

Postquam per unum fere annum conata sum argumenta varia verbis Latinis quam simplicissimis exprimere, tempus venit rem explanandi atque rationem concludendi.

Anno 1956, ingenario Iohanne CAPELLE impellente, Avennione habitus est primus «Viventis Linguae Latinae Causa Conventus Universus». Id fuit participum propositum, ut lingua Latina iterum fieret universum instrumentum communicationis in rebus scientificis divulgandis. Itaque actum est de pronuntiatio verborum Latinorum, de methodis docendi, de verbis novandis et... de grammatica Latina accommodanda.

De quo themate rettulit professor Iohannes BAYET (auctor illius historiae litterarum Latinarum), sodalis Instituti Francogallici et tunc temporis Rector Scholae Francogallica Romae. Sui incepti scopos primum voluit accurate definire: «Quaerimus, inquit, universum modum cogitationum communicandrum, eundemque scientificum, ne variis in regionibus inquisitiones inter se maneant ignotae. Quare oportet in promptu habeamus instrumentum linguisticum simplex quod omnes homines culuscumque aetatis facilime adhibere possint. Necesse est lingua potius ad diluciditatem tendat quam ad elegantiam.» Sit lingua classica, ait, sed scopo practico adaptata, ita ut homo doctus theoriam suam verbis Latinis facilibus, rectis clarisque exprimere possit. Nam, quod pertinet ad hunc usum internationalem scientificumque, lingua Latina multa praebet emolumenta: syntaxin stabilem, iunctiones grammaticas logicas, brevitatem... Sed etiam hoc addatur oportet: hic usus linguae Latinae nullo modo impedit quin subtilius studium detur litteris Latinis antiquis recentioribus: scopus est aliis.

Ut lingua Latina reddatur quam simplicissima, clarissima, maxime universa, has mutationes proponebat professor Iohannes Bayet:


- de adiectivis: ut nova creentur secundum primam classem (-us, -a, -um);
- de adiectivorum gradibus: ut comparativus et superlativus verbis «magis... quam, maxime» tantum exprimantur;
- de supino, gerundio et gerundivo: ut aliae formae in eorum locum substituantur;
- de syntaxi: ut sententiae iuxtapositae potius adhibeantur quam subordinatae, adiunctis adverbii coniunctionibusque quibus relationes logicae apte ostendantur.

Aliae autem structurae professori Bayet videntur ad scopum definitum praestantissime pertinere atque propter hanc ipsam causam maxime commen-

dandae esse: velut usus casuum, systema verborum temporalium, ablativus absolutus, sententia relativa. Ceterum ei non tam necesse videtur structuras grammaticas immolare quam eas modo logico claroque exponere. «Tota syntaxis ad communicandum necessaria, inquit, decem paginis contineri possit.»

Decem paginis?! Ego quidem experiri volui, qualis simplificatio rebus hodiernis Latine enuntiandis apta esset. Quare argumenta tractanda elegi varia: de Bahaismo, de muro Berolinensi, de sermone Vallonico, de Titino conata sum quam simplicissime, verbis tamen sententiisque rectis, scribere. Quo conatu haec animadvertere potui: si quis lingua Latina quam simplicissima sententiam suam clare exprimere cupit, certe e sermone suo nonnullas structuras difficiliores removere poterit quae ad rem intellegendam non sunt ita necessariae: oratione obliqua, exempli gratia, sine nimio desiderio abstinebit. Certe etiam sententias iuxtapositas saepe poterit subordinatis praeferre, quotienscumque relationes logicae adverbii coniunctionibusque ostendi poterunt. Sed aliae structurae vere Latinae mihi videntur omnino servandae esse, etiam in sermone simplicissimo: cum professor Bayet ablativum absolutum iure defendat, ei tamen minime assentior gerundium gerundivumque removenti. Quae verbi formae nominales non solum sunt vere utiles necessariaeque, sed usu multo faciliores quam putatur. De adiectivis autem, cum tot iam exstant adiectiva secundae classis, non intellego cur nova tantum creanda sint secundum primam classem. Comparativus et superlativus, perfacile discibilis, inutiliter etiam removeri videntur. Denique magni momenti sunt idiotismi linguae Latinae proprii, quibus multa facillime exprimi possunt: velut «mihi est aliqua res», ut unum e plurimis exemplis proferam.

Lingua Latina diu fuit universus modus communicandi inter Europae homines doctos. Lingua, qua utebantur, erat cum simplex tum recta atque plena; nemo umquam, quantum sciam, offensus est propter gerundivum gerundiumve. Eodem modo quo usque ad saeculum praeteritum homines docti inter se collocuti sunt, aequales nostri etiam, qui stultiores non sunt, instrumento communicationis uti possunt. Insuper timendum est ne nimia simplificatio paulatim ducat ad novam linguam artificialem, ut iam fecerunt conditores linguae c.n. «SPL»: qui, propter linguam Latinam ad usum internationalem simplificandam, totam grammaticam non continuerunt intra decem, sed intra... unam paginam! Horribile lectu!



### GEMMAE LYRICAES POETAES BULGARI PEIO IAVOROV

DUO PULCHRA LUMINA

Duo pulchra lumina. Anima puellae  
pulchris in luminibus; - radiant et sonant.  
Nihil poscunt, nihil pollicentur...  
Precatur anima mea,  
puella,  
anima precatur mea!  
Afflictio et miseria  
ea cras induent  
amictu pudoris et peccati.  
Amictu pudoris et peccati  
cras ea non induent  
afflictio et miseria.  
Precatur anima mea,  
puella,  
anima precatur mea...  
Nihil poscunt, nihil pollicentur! -  
Duo pulchra lumina. Radiant et sonant  
duo pulchra lumina. Anima puellae.

#### DESIDERIUM

Semper idem animus desideranti,  
semper idem iter erit pervaganti,  
cuius finem non aspicio.

Semper oculi procluntur,  
crastinum in diem convertuntur,  
portus qui sint nescio...

#### MAGA

Animo captivus sum humillimus,  
quem subiecit sibi tuus animus.  
Tuis oculis, qui silent, servio.  
Deprecor in animo, dum oculo  
tueor te - fugiente saeculo.  
Magico me regis nunc silentio.

Animo sic sitiens esurio,  
at non audio, quod a te cupio,  
diva sponsa, tacet tuus spiritus.  
Oculis in tuis est silentium:  
forsitan me magicarum artium  
vincere vi pudet te iam penitus.

Peo Iavorov (1877-1914), cuius cognomen poetum platani generis arborem significat, novam undam modernismo poeseos Bulgaricae intulit. Sunt qui symbolismum ab eo in Bulgaria incohatum esse censeant. In quadam parvo oppido natus primum in re cursuali operatus est, postea theatro et bibliothecae nationali Serdicensi operam navavit. Etiam laudem militarem meruit, cum in Macedonia adversus Turcos dimicabat. Ex illo tempore multis in carminibus iuri libertatis et singulorum populorum et hominum studet. Iavorov factus est unus de maximis poetis Bulgaris, qui hodie plurimum legitur, non solum ob magnificam formae elegantiam, sed etiam ob eam humanae existentiae tristitiam, qua animus poetarum in sublimes cogitationes erigitur et levatur.

Duo amores, qui finem tragicum habuerunt, antimūm poetae quatiebant. Amicitiam spiritualem iunxit cum Mina, quae erat soror amici eius poetae

Bulgari, puella multo quam ipse iunior, sed mira intelligentia et castitate. Eam amicitiam etiam post mortem Minae pia mente colebat.

Iavorovum apud Minae sepulchrum Parisiis (ibi enim illa diem supremum obierat) sedentem alia femina Bulgara, omnibus et pulchritudine et intellectu bene nota, nomine Lora, invenit et suum erga eum amorem ei declaravit. Quam tum repudiatam Iavorov postea tamen in matrimonium duxit. At in vita communī coniuges propter utriusque ingenii vim et vehementiam minus consentiebant, quo factum est ut Lora brevi vitam finiret. Illa extincta ne Iavorov quidem vivere voluit, sed mortem sibi consciit.

Ex carminibus, quae ex Bulgarica lingua in Latinam versa exposuimus, «Duo pulchra lumina» et «Maga» Minae dedicata sunt, «Desiderium» vero solitudinis sollicitudinisque poetae exemplum praebet.



## DE FASCISTIS ITALIAE ET DE SOCIALISTIS NATIONALIBUS GERMANIAE (ANNIS 1920-1945)

Fascistae et socialistae nationales eodem tempore exstiterant, primum illi deinde hi rerum potiti erant, similes sibi esse videbantur: attamen multae sunt differentiae, de quibus nobis agendum erit. Et sic, nono hoc articulo, finem facimus ideologis nostrorum temporum politicis contemplandis atque explicandis.

### I

Benitus Mussolini, quem fascistarum fundatorem novimus, ineunte adulescentia socialistae erat, qui Caroli Marx doctrinas sequebatur et annis 1910-1912 acta edebat socialistica, quibus titulus erat «Classum Pugna». Postea vero mutato animo fascistam se professus - nomen a fascibus Romanis derivatum est - iter Romanum anno 1922 confecit, et inde ab anno 1925 rem publicam omnipotentem promulgavit inimicis paene omnibus et ceteris partibus suppressis; regnabat Romae usque ad annum 1943 et in regione lacus Benaci usque ad annum 1945, quo interfactus est.

E Mussolini opere cui «Doctrina Fascismi» titulus exhaurienda sunt elementa fascismi, quae sunt haec:

- voluntas potestatis et imperii adipiscendi
- regimen auctoritate et potentia fultum
- nationalismus in interiore Italia
- imperialismus quo extra Italianam fines propagentur
- regimen unius solius partis, cuius praeses appellari vult «Dux».

Quam doctrinam in homine fascistico positam esse cupiverant fascistae, qui describitur verbis hisce:

- in ipso spirant natura patria lex moralis
- vitam libenter et laete vivit, voluptates despicit, officiis fungitur utitur fruitur
- pius erga patriam veneratur spiritum illum generali, quo superatur omne individuum humanum
- agnoscit morem maiorum et traditionem
- despicit socialistas et communistas qui persaepe clamitent progressum et prosectum et postulent classium pugnam
- despicit liberales qui individua iura defendant
- agnoscit rem publicam quae fundaverit ius ac leges et in ea insit disciplina totius hominis
- agnoscit imperium potentiam opes auctoritatem quibus sola fruatur res publica.

Hi veri fines sunt fascismi, attamen fascistae in re publica a se constituta hos fines perficere non poterant variis ex causis, quas enumerare longum est.

### II

Quod ad ideologiam vel doctrinam socialismi

nationalis attinet, omni asseveratione affirmandum est neque Adolsum Hitler nec Iosephum Goebbels neque Hermannum Goering neque Henricum Himmler neque alium quemquam secutum esse doctrinam veram vel ideologiam: erat enim socialismus nationalis nihil aliud nisi coniunctio vel colligatio diversissimorum dicatorum vel factorum. Nullo igitur tempore socialismo nationali inerat ideologia universalis (sicut inest Marxismo-Leninismo), hauserunt enim socialistae nationales e diversis fontibus, ita ut e permultis rebus permixta esset eorum pseudo-ideologia.

Principia vero quae sequebantur illi haec sunt:

- voluntas potestatis et imperii adipiscendi
- regimen auctoritate et potentia universali et totali fultum
- nationalismus in interiore Germania
- imperialismus quo extra Germaniam fines propagentur
- regimen unius solius partis, cuius praeses appellari vult «Dux».

Sic videtur socialismus nationalis idem docere atque fascismus, sed hanc opinionem sequi falsum est, sunt enim maximi momenti differentiae.

- 1) Principium pugnae et expugnationis multo plus sequebantur socialistae nationales quam fascistae.
- 2) Fascistae in Italia regimen auctoritate fultum instituerant, socialistae nationales regimen totale et universale in Germania.
- 3) Dux igitur multo maiore utebatur et abutebatur potestate in Germania quam collega in Italia.
- 4) Fascistae numquam palam omnibus proclamabant inferiores esse gentes alias, contra superiores gentes suas. Econtra socialistae nationales omnibus persuadere cupiebant hominibus primi ordinis esse Germanorum gentem, ultimi Iudeorum, sed et Poloni Russi alii illis persecundi et necandi esse videbantur. Antisemitismus igitur solis illis inerat socialistis nationalibus - ita ut sint qui dicant nihil aliud illos credidisse nisi quod Iudei essent infimi ideoque expellendi et interficiendi.
- 5) Antisemitismo hoc imbuti contra socialistas et communistas vehementissime pugnabant dicentes illas doctrinas a Iudeis esse inventas et doctas.
- 6) Fascitae numquam persecuebantur Iudeos, socialistae nationales sexagies centena milia Iudeorum interfecerunt.

Neque fascistas neque socialistas nationales cupimus umquam imperare, multo peiores erant socialistae nationales.



### ***De studiis mathematicis humanisticae aetatis***

*Acroasis habita in conventu Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae.*

*Erfordiae Thuringorum anno 1989.*

#### **1. Mathesis humanisticae aetatis in brevi conspectu posita**

**Gregorius Reisch** (1470-1525), lexicographus Virtembergensis illustrissimus, ineunte saeculo sexto decimo in libro quarto Margaritae Philosophicae, qui est de rudimentis quadrivii, disciplinas mathematicas hunc in modum introducit. Magister discipulo etiam atque etiam roganti, ut disciplinis trivialibus explanatis elementa quadrivii explicentur, respondet eum rem cupere (etsi difficilem) scitu tamen dignissimam. Nam teste Boethio rerum eruditissimo neminem umquam in philosophiae disciplinis ad perfectio- nis cumulum sine quadrivio evadere potuisse, nulli sine illo recte sapiendum, nulli denique recte esse philosophandum. Ob id quisquis illum praetermis- serit, omnem philosophiae iam perdere doctrinam. Quod et demonstrationibus lucidissimis **Nicolaum de Cusa** Cardinalem in primo, quem de docta igno- rancia praetitulaverit, libro confirmare. Nam et illum mathematicis adiutum disciplinis quaedam arcana sacrorum eloquiorum multis antea abscondita penetravisse. Sed iis (cum et longiore tractatum et inge- nium exercitatum requirant) in aliud tempus dilatis quod discipulus petat, ipsi exordiantur. Totam vero illam disciplinam, quam quadrivium Boethius nomi- net, quantitatem speculari; quantitatem vero in magnitudinem ac multitudinem partiri. Rursus alias quidem per eas ipsas: ut tria aut quattuor; alias vero ad alias referri: ut duplum et dimidium. Magnitudines autem alias manentes esse motuque carentes: ut triangulum, lineam. Alias vero semper mote: ut octavam sphaeram. Earum illam multitudinem, quae per eam ipsam sit, arithmeticam speculari. Illam vero, quae ad altam referatur, musicam contemplari. Immobilis vero magnitudinis noticiam geometricam, mobilis autem astronomiam polliceri. Ab iis quattuor eam doctrinam quadrivium appellatam esse. Esse enim vias quattuor ad unum finem (quantitatis scilicet noticiam) perducentes. Discipulus enucleate: «De prima igitur, inquit, hoc vesperi paucis te absolvas».

Tria cognoscere possumus. Primum etiam humanistica aetate septem artes liberales, disciplinas trivii et quadrivii, fundamenta fuisse rationis docendi et his disciplinis pueros liberos sive in scholis monasteriorum et coenobiorum sive in universitatibus littera-

rum institutos esse.

Deinde **Anicium Manlium Torquatum Severi- num Boethium**, qui ab **Martino Grabmann** cognomine ultimus Romanorum appellatus est, usque ad ineuntem recentiorem aetatem maxima fuisse auctoritate. Constat Boethium fuisse peritissimum mathesis descriptivae et interpretem maximi momenti operum mathematicorum Graecorum. Boethius quaes- tiones mathematicas cum philosophia coniunctas permagno aestimabat et in libris de institutione arithmetica quodam modo definitionem multitudinis mathematicam, ideam principalem mathesis modernae, anticipavit.

Denique in aperto est homines eruditos disciplinis auxiliaribus opus esse sentire coepisse: disciplinae quadrivii ancillae philosophiae et allarum disciplina- rum habebantur.

Initium humanisticae aetatis initium renovatae quoque mathesis fuit. Boethius Pythagoram supera- verat: methodi modernae algorithmicorum in usu erant, quarum ope mathematici simplicissime duos numeros in unum iungere, alium numerum de alio detrahere, alium numerum in alium ducere, alium numerum per alium dividere poterant; peropportune accidit, quod methodi complicatae abacistarum, qui auxilio calculatorum abaci calculaverant, in oblivionem adductae erant. Humanistae, qui linguas veteres adamaverant, sive Archimedis, Diophanti, sive Nipsi, Epaphroditii originalia legere callebant. Humanistica aetas denuo fere omnia opera mathematica antiqui temporis novit.

Memoratu dignum est humanistas condiciones psycholinguisticas procreavisse, quibus logica mathe- matica expromi posset. Nonnulli philologi senten- tiam obtinent humanistas, qui veri Ciceroniani es- sent, linguae Latinae Medii Aevi et hoc modo toti Latinitati finem imposuisse. Veri similius esse vide- tur eum acutissime cogitare, qui rationem cum mundo linguistico praeposito accommodare cogatur. Nullo modo sine grammatica esse potest mathemati- cus.

Denique proponendum est, quanti mathematici et physici methodos obiectivas adhibuerint. Cum **Nicolaus Copernicus** (1473-1543), astronomus, sys- tema mundi heliocentricum, quod dicitur, exposui- set, non deerant, qui observationibus astronomicis et

experimentis callide excogitatis argumenta quaerent ad probandam aut refutandam sententiam Copernici.

Mathematici humanisticae aetatis imprimis alii quaestiones trigonometriae planae et sphaericæ tractabant, ut problemata astrometriae, geographiae, mathematicæ et geodaesiae solvere possent; alii theoriā algebraicā aequationum attingebant; alii versati erant in disciplina navalī et cartographia, quarum scientia opus erat iis, qui itinera ad quaerendas novas terras susciperent; alii operam ponebant in quaestionibus geometriae practicae et perspectivae.

In hac commentatione duo ex maxima copia exemplorum mathesis humanisticae ab auctore privata persuasione sumpta nunc disputabuntur.

## 2. Schola mathematica Vindobonensis

Universitas Vindobonensis anno 1365 a Rudolpho IV, duce Austriae, condita est; saeculo quinto decimo domicilium maximi momenti disciplinarum quadrivii, immo centrum mathematicum mundi, fuit. Tres viri excelsi operibus mathematicis et astronomi- cīscholam mathematicam Vindobonensem, quae vocatur, ad famam protulerunt.

**Ioannes (Iohannes) de Gmunden** (1384-1442) triumvirorum maximus natu fuit. Rudimentum posuit in Gmunden, in urbicula in Austria Superiore sita; postea in universitate Vindobonensi primo studiosus didicit, deinde magister disciplinas praecipue mathematicas docuit. Ioannes de Gmunden - si id dicere licet - primus professor mathematicus Austriacus fuit.

In intimato universitatis, id est in praelectionum indice, has scholas (quas Ioannes habebat) relatas invenimus; quae rationem de scientia mathematica saeculi quinti decimi reddunt:

- de theoricis planetarum
- de libris elementorum Euclidis
- de proportionibus
- de algorismo de integris
- de algorismo de minutis et cetera.

Ioannes tria scripta mathematica divulgavit: tractatum de sinibus, chordis et arcibus, tabulas tabularum, tractatum de minutis physicis. Tractatus de sinibus, chordis et arcibus opusculum trigonometricum maximi momenti est; in quo methodi ad determinandos valores sinus explicantur.

Ioannes de Gmunden argumentis firmare conatus est cyclometricis functionibus opus esse: geometricis non contigit, ut proportionem peripheriae circuli ad diametrum determinarent, quia recti ad curvam nulla est proportio. In promptu est Ioannem auctore Boethio quaestiones fundamentales magni aestimavisse.

**Georgius Aunpeck de Peuerbach** (1423-1461), Austriacus, et **Ioannes Müller** (Regiomontanus, de Monte Regio, 1436-1476), Francus, item imprimis problemata trigonometrica investigabant; uterque eorum triumvirorum Vindobonae docuit.

Aunpeck in tractatu super propositiones Ptolemaei de sinibus et chordis radio circuli 600.000 posito valores sinus de decem minutis in decem per multas milenarias partes determinavit. Regiomontanus,

eius discipulus illustrissimus, quem non pauci principem mathematicorum humanisticae aetatis nominare solent, in libris quinque de triangulis omnimodis primum in Occidente totam trigonometriam planam et sphaericam comprehendit; quod fere per tria saecula opus trigonometriae gravissimum habebatur.

Regiomontanus auctor fuit theorematis magni ponderis de cosinibus laterum trianguli sphaericī. Ut notum est, latera trianguli (a,b,c) cum angulo C, qui lateri c contrarius est, coniuncta sunt hac aequatione goniometrica:

$$\cos c = \cos a \cdot \cos b + \sin a \cdot \sin b \cdot \cos C.$$

Regiomontanus rem - etsi nondum notis mathematicis, sed solis verbis - in hunc modum demonstravit:

$$\begin{aligned} \text{sin versus } C : (\text{sin versus } c - \text{sin versus } (a-b)) = \\ \text{sinus totus} : \text{sin } a \cdot \text{sin } b. \end{aligned}$$

$$(\text{sin versus } C := 1 - \cos C; \text{sinus totus} := \text{valor radii}).$$

Praeterea non deerant, qui disciplinas mathematicas extra universitatem Vindobonensem colerent: **Conradus Celtes** (1459-1508), archihumanista Germanorum, poeta laureatus, Vindobonae collegium poetarum et mathematicorum condidit, ut Musas cum philosophia, litteras cum scientia naturali iungeret; **Georgius Muestinger** (Müstinger), praepositus monasterii Claustroburgensis (Klosterneuburg), communiter cum mathematicis et siderum spectatoribus universitatis Vindobonensis in litteris elaboravit et hoc modo coenobium domicilium disciplinarum mathematicarum fecit (e.g., anno 1421 Claustroburgi mappa Friderici, quae vocatur, depicta est); denique unus discipulorum Regiomontani, homo doctissimus ex Campitemplo (Feldkirch) natus, qui se more Vorarlbergensium **Rhaeticum** (1514-1576) nominare solebat, in urbibus diversis docuit, primus tabulas omnium sex functionum trigonometricarum (sin, cos, tan, cot, sec, csc) divulgavit.

Ut comprehendam, non dubitandum est, quin Austria humanistica aetate vera terra trigonometriæ fuerit.

## 3. Pauca de aequatione cubica relata

Satis constat originem et fontem algebrae sublimioris ea therorematum esse, in quae mathematici methodos ad resolvendas aequationes algebraicas indagantes incurserint. Nulla gens tam ineruditæ esse videtur, ne qua ratione ignotam aequationis linearis determinare possit; nam numerus ingens aenigmatum textualium, quae ad aequationem primi gradus reduci possunt, omnibus temporibus et apud omnes gentes inveniuntur. Methodi ad resolvendas aequationes quadraticas iam antiquis temporibus notae erant: Babylonii, Graeci, Arabes methodos partim algebraicas partim geometricas excogitaverunt. Veteres aequationes tertii gradus aut modo geometrico aut in casibus specialibus resolvere intellegebant. Algebraistæ saeculi sexti decimi demum methodum perfectam invenerunt. Atqui via plena ingenii et invidiarum ingredienda erat.

Constat **Scipionem Ferreum** Bononiensem (Scipio del Ferro, 1496-1526) primum aequationem cubicam resolvisse. Ille causis inexplicabilibus methodum collegis occultabat, soli discipulo Antonio

Mariae Florido (Fior) aperuit.

**Nicolaus Tartaglia** (1500-1557), Brixellensis, mathematicus praestantissimus, de quo clara fuit fama tota Italia, anno 1535 in certamine academico cum Antonio Fior convenit. Talia certamina sine dubio similia erant ludis Olympicis mathematicis, qui vocantur, hodierni temporis. Fior tringita aenigmata proposuit; quae omnia ad aequationes cubicas reduci poterant. Tartaglia, ne vinceretur, ad quaerendam methodum resolvendi coactus est et talem invenit.

**Nicolaus Cardano** (1501-1576), Patavinus, mathematicus, medicus, vir eruditissimus, Nicolaum Tartaglia, amicum suum, vehementissime insectatus est, ut methodum longissime desideratam proferret. Tandem Tartaglia amico formulam tradidit. Cardano ius iurandum dedit se nemini commissa proditurum esse. Nova re illicitus facere non potuit, quin fidem frangeret, et in libro totam algebraicam disciplinam comprehendente, qui Ars Magna inscribitur, formulam Nicolao Tartaglia surreptam enuntiavit.

Multi et ii docti hodierni temporis non solum Nicolaum Cardano obtrectatorem vident, verum etiam proposuerunt eum ipsum mathematicum magni momenti fuisse et methodos ad resolvendas aequationes cubicas aliarum quoque formarum repertisse; praeterea Scipionem Ferreum et Nicolaum Tartaglia in libro suo nominavisse et hoc modo auctores quasi more moderno citavisse.

Tartaglia magna sollertia quantitates auxiliares introduxit. Data aequatione cubica reducta

$$x^3 + px = q$$

et positis quantitatibus auxiliaribus  $y, z$

$$y - z = q$$

$$yz = \frac{p^3}{27}$$

erunt  $y, z$  radices aequationum quadraticarum

$$y^2 - qy = \frac{p^3}{27}$$

et

$$z^2 + qz = \frac{p^3}{27}$$

unde evadet

$$x = y^{1/3} - z^{1/3}.$$

Quamquam symbola mathematica ad describendas aequationes et notandas dignitates ignotae iam undique in usu erant, alii alia usurpabant; tamen multi viri docti formulas mathematicas tantummodo verbis describere solebant. Cardano regulam a Tartaglia inventam in hunc modum explicavit:

*Deducito tertiam partem numeri rerum ad cubum, cui addes quadratum dimidii numeri aequationis, et totius accipe radicem, scilicet quadratam, quam servabis unique dimidium numeri quod iam in se duxeras, adiicies, ab altera dimidium idem minues, habebisque Binomium cum sua Apotome, inde detracta*

*R. cubica Apotomae ex R. cubica sui Bonomii, residuum*

*quod ex hoc relinquitur, est rei aestimatio.*

**Ludovico Ferrari** (1522-1565), discipulo Nicolai Cardano, Bononiensi, contigit, ut aequationem biquadraticam resolveret. Cardano methodum disci-

puli sui in Arte Magna explanavit et hoc modo memoriae prodidit. Hodie scimus impossible esse ignotam aequationis maioris quam quarti gradus casibus specialibus exceptis auxilio radicalium determinari. **Buffin, Abel, Galois**, mathematici recentioris aetatis, hoc ope theorematum subtilium theoriae corporum demonstraverunt.

#### 4. Verba concludentia.

Humanistica aetas in omni genere aetas et redintegratorum studiorum antiquitatis et expergesfactae scientiae naturalis et rationalis erat. Multi ex numero humanistarum eorum, qui se in tractandis quaestionibus mathematicis collocabant, merito parentes praestantissimi hominibus doctis barocae aetatis habentur.

Vix ulla aetate haec sententia **Terentii** maioris momenti fuisse videtur quam eo tempore brevissimo, quod a **Petrarca** ad **Melanchtonem** pertinebat: **nihil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit.**

#### Libri adhibiti

**BUSARD, H.L.L.**, Der Traktat •De sinibus, chordis et arcubus von Johannes von Gmunden», Verlag der Österreichischen Akademie der Wissenschaften (Denkschriften der mathematisch-naturwissenschaftlichen Klasse, 116. Bd.), Wien (Vindobona) 1971.

**CANTOR, M.**, Vorlesungen über Geschichte der Mathematik vol. II, Verlag von B.G. Teubner, Leipzig (Lipsia) 1900.

**HAMAN, G.** (Editor), Regiomontanus-Studien, Verlag der Österreichischen Akademie der Wissenschaften (Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Klasse, 364. Bd.), Wien (Vindobona) 1980.

**HAMAN, G., H. GRÖSSING** (Editores), Der Weg der Naturwissenschaft von Johannes von Gmunden zu Johannes Kepler, Verlag der Österreichischen Akademie der Wissenschaften (Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Klasse, 497. Bd.), Wien (Vindobona) 1988.

**LHOTSKY, A.**, Umriss einer Geschichte der Wissenschaftspflege im alten Niederösterreich Mittelalter, Verlag: Verein für Landeskunde von Niederösterreich und Wien, Wien (Vindobona) 1964.

**REISCH, G.**, Margarita Philosophica, Stern-Verlag Janssen & Co., Düsseldorf (Dusseldorpium) 1973.

**SMITH, D.E.**, History of Mathematics, vol. I, vol. II, Dover Publications, Inc., New York (Novum Eboracum), 1958.

**TROPPKE, J.**, Geschichte der Elementar-Mathematik, vol. I, vol. II, Verlag von Veit und Comp., Leipzig (Lipsia) 1903.

**WIGHTMAN, W.P.D.**, Science in a Renaissance Society, Hutchinson & Co LTD, London (Londinium) 1972.

Petrus HRANDEK  
Vindobonensis

# **DE THOMA ELSAESSE** **ADNOTATIUNCULA**

Commentatiunculis de Thoma Elsaesser OSB editis (cfr. «Ab oblivione vindicetur Thomas Elsaesser OSB colloquiorum scriptor», *Melissa*, 30 (1989), 8-9 et 15) haec subiungantur:

1) I. Szutkowski, «Ars Latine loquendi universis discipulis celsioris et mediis ordinis scholae (excerptum): De tempestate vel statu caeli», *Vita Latina*, 45 (1972), 22-24;

2) I. Szutkowski, «Antiqua disciplina sive quae sint indecora», *Vita Latina*, 46 (1972), 22-23;

3) I.R. Danka, «De D. Thomae Elsaesseri O.S.B. Latinorum sermonum libro ab obliuione vindicando», *Vox Latina*, 27 (1972), 41-44.

Quae scriptiunculae me Elsaesseri opera proponentem mirum fugerunt in modum; erant tamen cognitione dignae. Nam anno circiter 1970 Szutkovius ille surto facto colloquia ab Elsaessero conscripta suo nomine inscripta denuo divulgaturus esse videbatur; divulgasset certe, nisi Ignattus R. Danka philologus fraudem detexisset furemque scripto designavisset. Qua re etiam demonstratur quam desiderabilis sit nova colloquiorum Elsaesserorum editio.

Theodoricus SACRE

# **POESIS LATINA**

DE RECEPTA SOLLEMNIBUS NATALICII  
IESU CHRISTI ROMANORUM LIBERTATE

Foede sepulchris condita corporum  
moles cruentum reddidit alitem,  
cuius canora voce caelum  
et mare contremuitque terra.

At liberalis laetitias canens  
natumque mundi stercore splendidum  
demittitur pinnasque Ponti  
abluit aquore triste monstrum.

Tu, tolle lucem, Phoebe, fidelibus!  
Tu, deme genti, alme Pater, iugum!  
Vobisque fretos non tacebo  
et populos superasse regem!

Béla NEMETH  
Hungarus



## **LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR**

### **SEMINARIA LATINA**


**Dr P. Caelestis Eichenseer** hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

**10 - 17 m. Augusti anno 1990, Vestendae (Westende) in BELGICA**

ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles  
Tel. 02/735 04 08



**22 - 28 m. Augusti anno 1990, Morsaci (Morschach) in HELVETIA**

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH  
Aeschistrasse, 6  
CH-3110 Münsingen  
Tel. 031/920823

### **FERIAE LATINAE**

**18-25 m. Augusti anno 1990, Nicaeae** habebuntur. De Feriis Latinis participandis interrogandus est:

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines, C 9  
Rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu  
Tel. 93 49 01 91

### **SCHOLAE FRISINGENSES**

**30 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1989** (N.B.: de diebus exactis res nondum est satis certa)

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH  
Universität, Institut für Klass. Philologie  
Gesschwister-Scholl-Platz, 1  
D-8000 München 22.

### **SEPTIMANA LATINA**

**12 - 18 m. Augusti anno 1990, Amoeneburgi.** De hac septimana interrogandus est:

Robertus Maier  
Dresdener Strasse, 10  
D-6070 Langen  
Tel. 06103-71652